

## Proprio della Santa Messa in Onore del Beato Carlo d'Austria

### 1 INTROITUS

Adorate Deum, omnes angeli eius: audivit et laetata est Sion: et exultaverunt filiae Iudae.

*Ps. Dominus regnavit, exultet terra: laetentur insulae multae.*

### 2 COLLECTA

Deus, qui per aerumnas huius mundi beatum Carolum de regno terrestri ad caelestem coronam transtulisti, eius nobis intercessione concede ut Filio Tuo fratribusque servientes ad vitam aeternam pervenire valeamus. Per Dominum.

### 3a GRADUALE

Timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terrae gloriam tuam.

*V. Quoniam aedificavit Dominus Sion, et videbitur in maiestate sua.*

### 3b VERSUS ALLELUIATICUS

Alleluia.

*V. Dominus regnavit, exultet terra: laetentur insulae multae.*

### 4 OFFERTORIUM

Dextera Domini fecit virtutem dextera Domini exaltavit me: non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini.

### 5 SUPER OBLATA

Praesenti oblatione, Domine, in beati Caroli commemoratione delata, fidelibus tuis, quaesumus, pacis et unitatis dona largire. Per Christum.

### 6 PRAEFATIO (Praefatio II de Sanctis)

Vere dignum et iustum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere: Domine, sancte Pater, omnipotens æterne Deus: per Christum Dominum nostrum. Tu enim Sanctorum tuorum confessione mirabili Ecclesiam tuam nova semper virtute fecundas, nobisque certissima præbes tuæ dilectionis indicia. Sed etiam, ad mysteria salutis implenda, et ipsorum insigni incitamur exemplo et pia intercessione perpetuo commendamur. Unde et nos, Domine, cum Angelis et Sanctis universis tibi confitemur, in exultatione dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus

### 7 COMMUNIO

Primum quaerite regnum Dei, et omnia adicientur vobis, dicit Dominus

### 8 POST COMMUNIONEM

Sacramenta quae sumpsimus, Domine, in commemoratione beati Caroli mentes et corda nostra sanctificent, ut divinae consortes naturae effici mereamur. Per Christum.